Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1929
Quelle:
Copyright:

colai V. renitente Facultate Artium non nisi e pluralitate votorum ab Academia exceptum fuisse; ita multi Academicorum etiamnum *Basileam* respectabant. Incipit: *Sicut non ambigimus ex innata pietate* &c. et utitur verbis *Job.* 4. *Descende priusquam moriatur filius meus*, tanquam *Germaniae* ad Legatum. Inter alia: *Descende denique, vide, quomodo principum negotia inexplebiliter miserorum portendunt grauamina. vbi sacerdotum zelus, vbi iudicum equitas, vbi cleri puritas et sacerdotalis mundicia, vbi religiosorum celibatus et castimonia, vbi denique paupertas voluntaria! Descende et vide in nonnullis partibus sanctimonialium cenobia qualia sint. An sint castarum mentium claustra, an potius sub quocunque honestatis fuco meretricum prostibula et innocentium animarum decipula. Conuerte te demum ad reliquum vulgus indoctum, et inuenies hijs diebus apertam bestie de abisso ascendentis effigiem, dum ventri tota sollicitudine inseruiunt, superiores spernunt, sacerdotes despiciunt, salutis monita audire contempnunt* &c. Haec de sui temporis *Germania* cordatus Senex noster.. 34) *Collatio et propositio ad R^mum Dominum legatum Johannem dyac. Cardinalem Sancti Angeli* 1455. (in die) *Crisogoni martiris*. Ex dictis et dicendis vides, *Haselbachium* aevo suo velut os Academiae *Vien.* fuisse. Thema hic illi: *Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone illi manum tuam et viuet. Matth.* 9. quae verba Ecclesiae universali ad Legatum tribuit, qui a *Callisto* III. ad Principes in Turcam animandos rursus in *Germaniam* missus fuerat, unde per *Filiam* Ecclesiam orientalem designat, deque ejus fatis ad miserationem praeclare disserit. In ingressu etiam memorat, *se lustro peracto pauxilla in simili causa* coram eodem *Carvajalio in medium deduxisse*. 35) a *fol.* 271. succedunt Prolusiones VII. habitae in Promotionibus ad gradus Academicos Variorum, quorum sat fuerit adscribere nomina: *Jacobi de Flednitz*, *Andr. de Scherding* 1461. *Pauli de Mellico* Can. Vien. 1452. *Job. de Lambaco* 1452. Artistarum plurium 1431. *Ladisl. de Strig* (onio?) Archid. *Alben alias Transsilvani*, *Job. de Pakkenstain* Archid. *Zagrab. Job. de Bosna* Canon. *Zagrab.* 1431. Artistarum plurium 1432. *Georgii Aphentaler* et *Job. Angrer de Muldorff* 1432. e quibus qui deinceps Academiam illustrarunt, in *Scriptt. Univ.* et *Locheri Speculo* memorantur. 36) *fol.* 303. *Collatio pro Domino Episcopo Patavienſi* 1428. Est is *Leonardus de Layming* post sedatas cum *Alberto* Duce tricas hoc anno primum, ut videtur, *Viennam* adpulsus, cui sacri Pastoris munia egregie ob oculos ponit *Haselbachius* ab Universitate eum consalutare jussus. Obsequitur tamen gustui aevi sui in eo, quod Episcopum e gentilitio nomine *Layming* (Leim, Leimen, *Limus*, *Argilla*) memorem semper esse jubet terrenae originis. Initium est,